

jugis et continua in naturam vertitur. Nec in illis ego tanquam simulacrorum effigies probo, nec in istis tanquam excusorum ruinas. Est etiam gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex. Nihil enim fucatum placet. Motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet: ut ars desit, non desit correctio. Quod si etiam ipsa spectantur altius, quanto magis cavendum est, ne quid turpe ore exeat? Hoc enim graviter coquinat hominem. Non enim cibus inquinat hominem, sed injusta obtrectatio, sed verborum obscoenitas. Haec etiam vulgo pudori sunt. In nostro vero officio nullum verbum quod inhoneste cadat, non incutiat verecundiam. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus hujusmodi praebere dictis: sicut Joseph ne incongrua suae audiret verecundiae, veste fugit relicta: quoniam quem delectat audire, alterum loqui provocat. Intelligere quoque quod turpe sit, pudori maximo est. Spectare vero si quid hujusmodi fortuitu accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, numquid potest in se ipso placere? Haec ipsa natura nos docet, quae perfecte quidem omnes partes nostri corporis explicavit: ut et necessitati consuleret, et gratiam venustaret. Sed tamen eas quae decorae aspectu forent, in quibus formae apex quasi in arce quadam locatus, et figurae suavitatis, et vultus species emineret, operandique usus esset paratior, obvias atque apertas reliquit: eas vero, in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui praeberent spectaculum, partim tanquam in ipso amandavit atque abscondit corpore, partim docuit et suasit tegendas. Nonne igitur ipsa natura est magistra verecundiae? Cujus exemplo modestia hominum (quam a modo scientiae quid deceret appellata arbitror) id quod in hac nostri corporis fabrica abditum reperit, operuit et texit: ut ostium illud tegebatur, quod ex